Sigismundus Augustus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæque Dominus et Hæres.

Spectabiles et famati fideles nobis dilecti. Non possumus satis mirari, cur adeo mandata nostra à F. V. parvipendantur: Cum n. F. V. à nobis iniunctum esset, ut declarationem nostram de usuris factam Gedani publicè promulgari procurent, neque cum mandatis nostris licet ea in re nobilem Joannem Falibowsky, cubicularium nostrum ad ipsos miserimus F. V. satisfecerunt, neque huc usque ut nobis dictum est promulgationem eam admittere noluerunt. Quod cum ita sit non possumus eam pertinaciam F. V. non graviter et molestè ferre: Itaque mandamus iterum F. V. severè omnino habere volentes, ut quam primum visis præsentibus, priori mandato nostro hac in re satisfaciant, simulque cum ea declaratione nostra hasce patentes mandati nostri literas, quæ F. V. nomine nostro reddentur publicè proclamari curent, secus pro gratia et gravi indignatione nostra F. V. non facturæ. Data Warsaviæ die XV mensis Decembris Ao Domini M. D LXXI Regni nostri 42.

Sigismundus Augustus Rex Poloniæ

Spectabilibus et famatis Proconsulibus et Consulibus civitatis nostræ Gedanensis fidelibus nobis dilectis.